



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CLXXXI. De Quadam traditione facta contra Fratres.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

Hartmannus C. de Heldrungen VIII. Mag. Gen. Ord. Teuton.

Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Pruss. Provinc.

gōv. Hic vētigal anno 1433. institutum causā dedit gravam  
num contra Ordinem Teutonicum.

## CAPUT CLXXX.

*De*

### Vastatione terræ Scaloviæ.

**S**ed quia facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi, ne-  
cessitatem fuit, quod Scalovitæ de delicto hujusmodi præsum-  
ptionis gravem subirent pœnam, ne talia de cætero attentarent.  
Congregavit ergo Magister & fratres validum exercitum in ul-  
tionem præmissorum, qui cum venirent in terram Scaloviæ,  
ipsam per incendium & rapinam pertransirent a fine usque ad fi-  
nem, in illa parte, quæ tangit terram Pruschiæ, factaque strage  
magna hominum, mulieres & parvulos vincitos deduxerunt.  
Medio tempore, quo hæc agerentur Slinegota Capitaneus Sca-  
lovitarum cum magno exercitu sequutus est eos, quod conside-  
rantes Magister & Fratres positis occultè insidiis exercitum Sca-  
lovitarum procedentem invaserunt & pluribus eis occisis, alios  
in fugam converterunt.

## CAP. CLXXXI.

*De*

### Quadam traditione facta contra Fratres.

**F**uit quidam Vir potens, cui nomen Sarecta Scalovita, Ca-  
stellanus in Castro Sareka, à nomine suo sic dicto, de illa par-  
te Scaloviæ, quæ tangit terram Lethoviæ. Qui non habens vir-  
tutem animatorum, quæ posset Fratres offendere, excogitata

L 2

qua-



Hartmannus C. de Heldrungen VIII. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. in Prussia.

quadam fraude traditionis, voluit sub simulatâ specie boni eos decipere. Misit enim nuncios suos ad Commendatorem de Memelburgk, petens ab eo humiliter & devotè, ut cum armigeris suis veniret, & eum, qui cum totâ domo & familiâ vellet relietâ Idololatriâ baptismi gratiam percipere deduceret violenter, quia nonnisi in manu potenti evadere infidelium manus posset. Commendator auditâ hâc legatione gavisus est gaudio magno. Unde licet non posset habere plenam certitudinem facti, voluit tamen sub spe lucri tot animarum aggredi rem periculosa & dubiam propter Deum. Assumptis ergò fratribus quibusdam & armigeris processit, & in ira occurrit ei quidam vir, qui ipsum de traditione hujusmodi præmuniuit, asserens, quod dictus Sarrecka cum multis armatis, ut eum & fratres occideret, in itinere expectaret. Hoc audito Commendator non volens, quod idem Sarecka de tanta iniquitate commodum reportaret, circumveniens eum, improvisè irruit in ipsum, & aliis præ timore in fugam conversis, ipsum cum octo potentioribus de parte ipsius capiens deduxit. In primâ verò nocte dum fratres quiescerent in tentoriis suis, idem Sarecka, qui fortis erat robore, solvit se à vinculis, quibus ligatus stetit ad arborem, & arrepto gladio unum fratrem & tres armigeros interfecit, & alteri brachium amputavit, in qua pugna & ipse etiam est occisus.

## C A P. CLXXXII.

*Deo**Expugnatione castri Sassoviae.*

Fratr Conradus de Tierberg Magister hoc intellecto commotus est, & congregato exercitu valido mille quingentorum equi-